



Disputatio juridica de justitia et jure septima

<https://hdl.handle.net/1874/235055>

DISPUTATIO JURIDICA,
DE
JUSTITIA ET JURE,

SEPTIMA

QVAM

F. . O. M.

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi,

D. PAULI VOET, Juris in Illustri Aca-
demiâ Ultrajectinâ Professoris ordinarii.

Publicè ventilandam proponit

CASPAR ENYEDI, Panno-Dacius,

Ad diem 20. Martii, horis locoque solitis.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,
Anno cl^o l^o c^o LVII.

D. NICOLAO NADANYI de KERES NADANY,
Equiti aurato Sacrae Regiae Majestatis munitissimae arcis
Neogradensis summo Capitaneo, rerum bellicarum expe-
rientia Clarissimo. Domino Fautori, ac Patrono mihi ob-
servandissimo.

I T E M

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo Viri.

D. JOHANNI PINNYEI, Praefatae Regiae Majestatis
Personalis Praesentiae, & in judiciis locum tenentis Magi-
stro Prothonotario, Iudici iustituario, Vtriusque juris, & no-
strarum consuetudinum peritissimo. Domino ac Fautori
mihi semper observando.

N E C N O N

Generosis, Nobilissimis ac Consultissimis, Dominis

D. STEPHANO NADANYI. } *Illis incliti Comitatus*
D. FRANCISCO STEPAN. } *Biboriensis, & Univer-*
D. MARTINO SRIGETHI. } *sitatis urbis Varadiensis*
membris primariis. Huic Serenissimi ac Celsissimi Transylvaniae
Principis, arcis Szekelyhid universorumque bonorum ad eam spe-
ctantium Curatori fidelissimo, Dominis Fautoribus ac Patronis,
de me meisque studiis semper bene meritissimis, adeoque obser-
vandissimis.

Haec publicè ad ventilandum propositas studio-
rum suorum juridicorum primitias, in debita
gratitudinis testimonium

L. m. q. D. D. O.

C A S P A R E N Y E D I,
Pannodacius



EX quo Geneross. ac Nobiliss. Domini bonum illud, ad quod natura primava & incorrupta olim sponte sua direxit Adamum, funesto ejusdem lapsu amissum, omnes artes, scientia, & disciplina eo unice tendunt, ut quantum fieri potest, illud, quod maestissimus primorum parentum abstulit casus, iterum recuperemus, anima facultates aliquantū restaurarentur nuditas illa, ac indigentia subsidiis earum ex parte saltem congereretur. Ast cum literarum studia anime ignorantiam restituentium varia esse cuius constet, eaque tam prolixè, tamque latè patere ut (nedum omnia) unicum saltem diligens, & sedulus indagator absolvere perfectè vix possit, ob id literarum studia complecti volentis interest maxime, ut delectu sapienter adhibito animum ad singula intentum distrahi nequaquā patiatur, ne distractum superna summi numinis dispositione olim in muneris, ac honoris fastigio constitutus ad homines alios adjuvandos, in Repub. fortè magis nociturum quam pro futurum gravi eorum damno experiatur. Quod genus mali tristi, quo nihil capitalius publicæ securitati vehemens Aoniifortis fuitor rectè & ordinè sibi prospiciens scopo ad quem studiū collimet probe investigato sanè cavebit; is verò quin in SALUTE consistat nemotamenalis anima est, tam sui prodigus, tam salutis sui ipsius inimicus ut obstinata mente dubitet aut neger. Ea salus sine qua nec Microcosmo, nec Macrocosmo benè erit de nihilo ex tructo triplex ut plurimum occurrere videtur: prior fruitio nostri & unio cum Deo, id est, celestis animarum salus: Altera (qua suprema lex imperantis Ciceroni vocatur) Reipublica salus: tertia salus corporis humani: Hinc consuevit dici

Theologis animum subiecit lapsus Adami

Et corpus Medicis, & bona Juridicis

Priori quam pii pariter ac docti sacrarum literarum Doctores Ecclesiam Dei adversus ejus hostes propugnando, purius auro septies perignes probato verbum concionando promovent, ut & posteriori circa quam praeservandam, vel restituendam Medicorum operatur diligentia brevitatis causa relictis, altera omnium in terris ut eminentissima ita maxime necessaria, ut salus Reipublica juris remedio sub multiplici conditionum temperamento per ejus condendi potestate pollentes, Custodes, ac Sacerdotes quorum justitia numen oculis obversatur procuretur, ejusdemque calamitates non solum

evitentur, veram etiam incidentes propulsentur. Non enim prenominata
Reipublica salus conservatur per eos qui nudo sanguinis fundamento ni-
tuntur, stirpis, ac generis vetustate, lubricis familiarum gradibus sine lite-
rarum ornamento ad gloria fastigium contendunt, aut in medio Reipubli-
ca teatro jura, legesque populo daturis dignitatis auctoritatem sufficere
garrunt: nec eadem salus defenditur, aut sagitata reparatur solum ma-
gnanima strenuitatis opere, in acie acceptis pro dulcissima Patria vulneri-
bus, aut datis in ardore pugnandi, aut omnibus correptis Marte secundo
victrici palmam tenere manu, magnum equidem fortitudinis monumen-
tum, ea tamen ut rebus gerendis apta, ac idonea reddatur, arte, ac institu-
tione civilis sapientia perficitur. Militia enim praecedens sine hac caeco con-
tendunt Marte, agmen equitum, & florentes aere catervas convenienter ad
terrorem, ac periculum hostium in acies disponere vicinices sentire manus,
confidere ante urbem castris, & mania vallare, arietare in portas, detrudere
finibus hostem, viribus superatis hostium triumphum ad decus, & gloria modum
Victore dignum componere non posse rerum loquuntur documenta & fac.
Itaque sicut barbaram ita perniciosam opinionem esse existimantium na-
turale iudicii acumen bellaturo sufficere Plato in Dialog. V. De Repub.
Solomon Proverbio 1. v. 4. Ecclesiast. 9. v. ult. Regum sapientissimus aper-
tissime demonstrant. Laudata civilis sapientia ex saluberrimis Politico-
rum traditis, historiarum monumentis per quae in Majorum aetates redi-
mus, ac juris civilis hodie in usu ac praxi consistentis fundamentis hauri-
mus. Prioribus ut Jurisprudencia duabus alis suppositis, nostra Jurispru-
dencia divinarum atque humanam notitia Instit. 1. d. h. t. nihil, nisi salutem &
utilitatem Republica proponit, nihil, nisi quod ad jus, quod ad conditionem
natura, ad mentem divinam accedat, constituit, sine qua Civitas, nec gens,
nec hominum universum genus, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus,
in quo omnia sunt arctissima Societate divincta stare potest: Haec proponit
leges, quae nihil aliud sunt, nisi à divino numina tracta ratio, imperans
justa & aqua, prohibens iniqua, vitiorum emendatrix, commendatrix
virtutum, bene vivendi Magistra, hujus auctoritate domitas habere libi-
dines, ab alienis cogitationes, & manus abstinere docemur: Omnibus in
unum revocatis Frustra foris esse arma nisi intus sit Jurisprudencia Iustinia-
nus Imp. passim, Hungarorum Rex Matthias cognomento Iustus in initio

Majoris sui (ut vocant Decreti ambo potentiſſimi Barbarorum domitores,
ſœliciſſima memoria hodie per gloriam viventes; idemum Reges fruenda Ju-
ſtitia, non belli gerendi cauſa creati fuere primis naſcentis mundi cunabu-
lis veterum monumenta teſtantur. Cur vero inclyto nomini veſtro haſce
Præceptoris mei ſemper obſervandi lucubrationes politiſſimas, ego qui le-
ges vix à primo ſalutarum limine aſſumens defendendas inſcribere haud
erubeſco, ut taceam veſtram illam circa Rempub. nunquam ſatis laudatam
præſidentiam, ubi ſi quid ſub veſtram venerit cenſuram ad perpendicularum,
& lanceam Juſtitia noſtra Virginis gravis, ac ſevere, ita examinatis, ut non
ſinatis leges, aranearum telis (quæ valentia animalia tranſmitterent, in-
firmiora retinerent) comparari. Quod verò hoc genus exercitii ſuo fron-
tiſpicio Nomen tuum præ ſe ferre geſtiat Generoſiſſ. ac armata paleſtra
ſtudio ita Clariffimè, ut pro Hungaria ſapius prælia vulneribus gladio mi-
ſcueris, ad verſus rabiem Otomannam tot annos fulminantem Hungaris,
nunquam Satiabilem heluonem noſtri Sanguinis illuſtri Marte ſacros
triumphos duxeris, ne tamen adulationis labe forte notari contingat cætera
prudens recensere ſuperſedens, eſt animus mihi conſtans publicè teſtari meo-
rum ſtudiorum juridicorum auſpicata à virtute, & meritis tuis profluxiſſe.
Dum enim Ampliſſimi ac Clariffimi Domini fratris conſilio, ac voto decer-
nerem operam daturum ſacra Themidi melior em, dicto Clariffimo Domino
fratri conſultum videbatur patriis legibus, moribusquè judicandi ratio-
nem aliquatenus ut experirer, id ut obtinerem ſuis literis te Generoſiſſ. Du-
requiſivit, requiſitus in numerum Magiſtro Prohonotario intra, & ex-
tra judicium præſentium cooptari feciſti, erga me immerentem quod
libet genus benevolentia contuliſti, in quorum acceptorum, recognitionem
præſtare ſi non poſſem, ſaltem quid deberem, aut inenderem hoc exercitii
nomini tuo dicatum canonis loco eſſe velim Quodque tibi vivo legum armario
ſacrum fore voluerim, motivum erat animus integer effugiendi illud in om-
nium ore verſans pro verbum. Homine ingrato terra nihil gravius
portat, accipe igitur animo benevolo hoc munuſculum animo debendi ob-
latum, Deo vitam ad annos meliores deducente majora gratitudinis in-
dicia præſtiturus. Cæterum Viri Nobiliſſimi pro veſtro à primis adole-
ſcentia mea annis erga me affectu beneficiiſſi ſapius explicato cum ſolvendo
non ſim Juridica mea meſſis primitias in ſignum gratitudinis vobis etiam

humillimā animi devotione conféro. Accipite itaque hoc vestrorum in
me beneficiorum, meique erga vos monumentum, & pignus officii. Deus
ter opt. maximus in ancipiti hoc regnorum motu, metu, & vertigine in-
columēs defendat protegat. Ita vovet ex animo precaturque

Trajecti ad
Rhenum
22. Mar-
tii stilo
Julii an.

Generosiss. ac Nobiliss. Domi-
nationum vestrarum

Debendi Reus

CASPAR ENYEDI Pann.
I. V. C.

DISPU-

DISPUTATIO JURIDICA,

DE

JUSTITIA ET JURE,
SEPTIMA

T H E S I S I.

Reposui superiori disputatione, quæ juri gentium primævo erant adscribenda; eximnandum superest, quæ nam juri gentium secundævo sint annumeranda? Et quidem inquiritur, An dominiorum distinctiones? Respondeo, licet dominiorum distinctio non tantum jure humano, sed & naturali & divino nitatur; quia tamen non directe & immediate ab initio natura rerum præcepit divisionem, verum tantum ex occasione humani generis multiplicati, & iniquitatis invalescentis, cupiditate hominum insatiabili viam monstrante; ideo dicendum, rerum divisionem seu dominiorum distinctionem ex jure gentium secundævo originem trahere. §. 3. *Inst. Jur. nat. gent. & civil.* §. 11. *Inst. Rer. divis. l. 5. D. eod.* Nisi enim ea obtineret, pacifica & suavis rerum administratio non esset. Communio quippe mater litium ac discordiarum est *Genes. 13. & 30. l. 79. §. dulcissimis fratribus. D. leg. 2. l. 5. D. Acquir. Rer. dom.* Communio mater societatis est: cum quod ab omnibus possidetur, nemo quasi possideat. Quotque omnes agunt, nemo agat. *l. 1. D. de rebus eorum qui sub tutel. vel cur.* Præterquam quod suam quis partem corrumpi patitur, dum invidet alienæ. *l. 2. Cod. quando & quibus pars quart. debeat. l. 10.* Ne jam dicam, in corruptâ hominum societate, Deum hominibus viam præmonstrasse divisionis. Ut ea rationi sit conformis. *Genes. 10. Deuterone 32. Iosue 9. 18. & Donell. 1. comment. 7. Besold. ad l. 5. D. Inst. & jur. §. 3. Zoef. D. eod. n. 43. Ames. casub. cons. l. 5. c. 4. n. 9. Bocer. class. 1. disp. 2. n. 12. diff. Harprich. in Princ. Inst. de Rer. division. § 4. Goddæus ad l. 42. D. de v. signif.*

I I.

An regna ex eodem jure constituta? Quod affirmandum. Licet enim immediate à naturâ procedat, ut civiles sint hominum societates; adeoque in statu integritatis suavis fuisset harmonia superiorum & inferiorum; inque jubendo & parendo certus ordo, semotâ omni ambitione, finesque dilatandi cupidine; tamen quia hodie quæ regna constituta, pleraque dominandi libidine sunt constituta, ad prædas & depopulationes instituendas, potius quàm ad societatem colendam sint erecta, ne dicam ad defensionem rerum atque hominum, quod se infirmos sentirent, per accidens mali riæ humanæ regna esse condita, ac per hoc discretas gentes, quis non videt? *Genes. c. 10. s. 2. Instit. Jur. nat. gent. civil. l. 4. D. Inst. & Jur. Bocer. Besold. Zof. loc. antea citat.*

I I I.

An itidem bella? Quod affirmandum. Licet enim simplex defensio, juri naturali adscribatur; non tamen bellum, quæ defensio est limitata & circumscripta, partim juri naturali accedens, partim ab eâ recedens. Ut non nisi usu exigente, & ut hominum malitiis obviam eatur, sint introducta. §. 2. *Instit. Jur. nat. Gent. civil. l. 5. D. Inst. & Jur. Argum. l. 6. D. eod. Zoes. D. eod. n. 37. & seq. Besold. ad l. 5. D. eod. n. 1. diss. Hottom. ad §. sed jus. Inst. de jur. nat. Gent. civil.*

I V.

An captivitates, hincque ortæ servitutes, & manumissiones? Quod etiam dicendum. Etsi enim secundum Philosophum aliqui nascantur servi, aliqui domini; non alio sensu, quam quod nonnulli adeo bardi & stupidi, ut digni qui serviant, alii adeo ingeniosi, & sublimati pectoris, ut digni qui Imperent; hæc tamen non obstant, quo minus servitutes, non juris naturæ, sed gentium & quidem secundævi, esse dicantur. Si enim bella, unde captivitates, sint juris gentium; & nisi in bello fiant servi; (neque enim hic ago de modis juris civilis, quibus servi efficiuntur) sequitur & juris gentium esse ipsas servitutes. §. 2. *Instit. Jur. nat. Gent. civil. Init. Inst. de libertin. §. 2. Inst. de jure Personar. l. 5. D. Inst. & Jur. l. 32. D. de Reg. jur. l. 4. 5. D. stat. Homin. Zoes. d. l. n. 36. Besold.*

fold. ad l. 4. D. Inst. & jur. n. 1. Accuratissime Jurisconsultum cum Aristotele in materia proposita conciliatum vide in Epist. Nob. Daniel. Heinsii ad Georgium Richterum, apud Ianum Rugerium Var. lection. l. 4. c. 3.

V.

An obligationes, & contractus? Quod etiam statuendum. Non omnes tamen; ut dicendum, fere omnes ex jure gentium originem habere. Nec tantum contractus, sed etiam quasi contractus, reliquique juris actus. §. 2. *Inst. Iur. natur. Gent. civil l. 5. D. Inst. & jur. l. 20. D. de Iudic.* Ut tamen constet quinam sint juri gentium quinam alteri juri adscribendi, videndum an ne sic jus civile juris gentium contractus receperit, comprobaverit, reformaverit, ut tamen specificam iis formam, quam habent ex jure gentium reliquerit. Et manebunt juris gentium ut emptio venditio &c. an vero novam iis formam superaddiderit, & desinent, esse juris gentium, quod forma det esse rei. *d. l. 5. l. 6. D. eod. Connan. comment. jur. l. 2. c. 3. Zoef. D. de Inst. & jur. n. 43. Ernstein Cathol. juris cap. 10. n. 2. Besold. ad l. 5. §. 5. D. eod. Barbof Axiom. & Princ. jur. in verbo: forma.*

V I.

An per hoc actiones, quæ ex obligationibus, & contractibus oriuntur? Resp. licet formulæ quidem actionum juris sint civilis, materia tamen juri gentium est ascribenda. *l. 2. §. 6. D. Orig. jur.* Ratio est. Quod aliter ante 12. Tabulas, inanes fuissent ex jure gentium obligationes & contractus, nisi & remedia exigendi, quales sunt actiones locum habuissent. *Arg. l. 7. in init. D. de Pact.* Accedit, quod qualis est causa, etiam talis debeat esse effectus: ut si mater actionum sit ex jure gentium, & ipsæ illi juri suam debeant originem. *Barbof. axiom. & Princ. jur. in verbo: causa. Coraf. ad §. 6. D. orig. jur. Trentl disp. 1. Pand. thes. 4. Bacchov. ibid. Idem ad init. Instit. de Action.*

V II.

An Hypotheca, constitutum, Emphyteusis, donatio propter nuptias? Idem dicendum. Licet enim ex jure civili obligent, eoque sensu, licet admodum improprie possint dici juris civilis

l. 6. D. de Pact. Et ita omnes contractus juris gentium, dici possunt esse juris civilis: attamen quia nec Prætor, nec Zenon Imperator, nec Justinianus obligationibus prænominatis novam formam addiderunt; ideo in terminis juris gentium remanserunt. Hypotheca enim & Constitutum tantum jure prætorio ad obligandum facta sunt efficacia. Et circa Emphyteusim, atque Donationes, neque Zenon, neque Justinianus, jura nova introduxerunt; quod illi contractus gentibus non essent incogniti, licet alii forte iisdem proprium nomen imposuerint. *Coras. l. Miscell. 21. Connan. 7. comm. c. 12. Henon. disp. Inst. 1. thes. 14. Henric. Ernst. Cathol. jur. c. 10. n. 7. & 8. diss. Zoes. ex parte. D. just. & jur. n. 44.*

VIII.

Hactenus de jure naturali & gentium, deque iis quæ utrique aut alterutri juri adscribuntur. Superest jus civile, latius acceptum, ut & jus prætorium sub se continet; ad distinctionem juris naturalis & gentium. §. 1. *Inst. de jur. nat. Gent. & civil. l. 9. D. de Inst. & jur. Duaren. h. Ravard. Varior. l. 1. cap. 1.* Et est jus hominum, unius aut alterius civitatis proprium. Vel in quantum eo jure tanquam suo civitas quæque utitur, quod in eam sit receptum. §. 2. *Inst. Jur. nat. Gent. civil.* Vel in quantum aliquid juris quæque civitas sibi constituit. §. 1. *Inst. ead.* Illud in totum è naturali & gentium jure desumptum est; hoc cum quopiam additamento. Ut hic explodenda nonnullorum distinctio, quod jus civile aliud merum, aliud mixtum: cum quod esset juris civilis meri, mera esset injuria, utpote quæ nec ratione nec ratiocinatione humanâ niteretur. *DD. ad l. 6. D. Inst. & jur. Bocer. class. 1. disp. 2. num. 15. 16. 17.*

IX.

Ubi quæsitum amplius, an omne jus civile mutabile? Resp. licet id velint nonnulli, idque ad oppositionem juris naturalis, & gentium secundævi, quod dicitur esse immutabile; & ideo jus civile appellant jus positivum: contractum tamen tenendum. videtur. Et quia non omne jus positivum est mutabile. Cum uti ex ante dictis patet, etiam jus gentium primævum, suo modo positivum esse dicatur. Et quia non omne jus civile origine est
posi.

positivum, licet assumptione possit dici tale. Unde non sine distinctione hæc quæstio expediri nequit. Aut igitur jus civile est, quod simpliciter ex jure naturæ desumptum in civitatem est receptum; & est immutabile. Aut est tale, quod civitas ipsa sibi constituit, juri naturali aliquid addendo, vel detrahendo; & mutari quandoque poterit. Non tamen sine gravi causâ: quod omnis mutatio sit periculosa. *Arg. §. 1. 2. & 11. Inst. jur. nat. Gent. civil. l. 6. D. just. & jur. l. 2. D. de Const. Princip. Besold. ad l. 6. D. Inst. & jur. n. 1. vid. Zoef. h. tit. n. 48. ex parte dissentientem. ut & Bocerum class. 1. disp. 2. n. 18.*

X.

Superest ut examinetur, quænam juri civili sint adscribenda? Ubi prænotandum quandoque aliquid dici juris civilis prævative in quantum jus civile aliquid commodum aufert, quomodo servitus dici potest juris civilis. *§. 4. Inst. jur. Person.* Quandoque approbative, in quantum, quod est juris naturalis probat, ut si pacto tribuat vim pariendi actionem; quod eo nomine legitimum appellatur. *l. 6. D. de Pactis.* Quandoque dispositive, quando jus civile alicui negotio peculiarem formam, aut differentiam specificam, aut integram naturam tribuit. Quo sensu postremo inquiritur, an Juri civili stipulatio, seu verborum obligatio annumeranda? Quod affirmandum. Licet enim negari vix possit, quin in genere sit juris gentium, quia conventionibus annumeratur. *l. 1. §. 3. junct. l. 5. & 6. D. de Pactis.* Ejus tamen differentia est juris civilis; ut cujus propria ratio in eo consistit, quod solemnis oporteat esse rogatio, & responsio subsequens; quæ gentibus erant incognita. *§. 1. Inst. v. obligat. §. 9. Inst. de Action.* Ejusdem juris est Acceptilatio propter peculiarem suam formam, quod sit contra veritatem dissolvendæ obligationis modus. *l. 19. §. 1. D. Accept. l. 13. l. 107. D. solut. Zoef. D. de Inst. & jur. n. 44.*

XI.

An itidem Testamenti factio, Tutela, Nuptiæ, Patria potestas, Actus legitimi, Hæreditas, Vsuceptio, juri civili accensenda sunt? Id utique dicendum videtur. *Argum. Init. Inst. de Testam. Ordin. l. 4. D. qui Testament. fac. poss. Argum. l. 7. D. pro legat. 1- §. 2. Inst. de*

*Tutel. l. 1. D. eod. - Init. & S. pen. Inst. de Nupt. l. 19. l. 24. D. de statu
hom. - S. 2. Inst. de Patria potest l. 3. D. qui sui vel alien. jur. l. 11. D. l. &
posthum. hered. - l. 77. D. de Regul. jur. ibidem Faber in comm. - Cicer.
Orat. Pro Cecinn. - Init. Inst. de Vfus. l. 1. D. eod. junct. l. 14. D. Condi-
tion. Indeb.*

X I I.

Verbo Inquirendum, unde regulariter cognoscatur, aliquem actum juris esse civilis? An quia non nisi inter cives Romanos fieri poterat? Id videtur admitti posse. *Boet. comment. l. 3. In Topic. Cicer.* Ne tamen hinc quispiam ex adverso colligat, nihil posse fieri inter extraneos, quod juris esset civilis. *l. 17. D. de Pan.* An itidem, quæ non nisi linguâ Latina celebrari possunt, erunt juris civilis? Quod affirmandum. Olim enim in stipulationibus ut etiam in decretis judicialibus interponendis, non nisi Latinâ linguâ usi fuerunt. *l. 48. D. de Re judic.* Et legatum Græce scriptum non valebat, licet valeret fideicommissum. *Vlp. tit. 25. de fideic. Paul. 3. Sent. tit. 4. S. ex his. Cujac. ibid.* Postmodum tamen, quæ sunt juris civilis, etiam aliâ linguâ fieri poterant. *Arg. S. 1. Inst. verb. Obl. l. 8. in. fin. D. Accept. Cujac. in l. 1. S. 5. D. v. obligat. Henric. Ernst. Cathol. jur. c. 10.*

X I I I.

Hactenus de jure civili in genere; quod si in specie accipiatur: jus Romanum, jus Cæsareum, jus commune, ad oppositionem juris statutarii appellatur. Hoc jus civile duplex est, vel sanctio, vel jus sine sanctione. Sanctio, nihil aliud est, quam iussum ejus, qui supremâ gaudet potestate. Jus sine sanctione est, vel æquitas, vel consuetudo. Ut hic explodenda veniat plerorumque divisio juris in scriptum, & non scriptum. Ut illud sit, quod publicâ auctoritate in scripturam est redactum; hoc non item. Neque enim scriptura spectat essentiam ullius juris. Cum nihil intersit scriptæ sint leges, an non scriptæ, teste *Arist. 10. Ethic. cap. 9.* Ut per jus scriptum nihil aliud intelligi debeat, quam sanctio, seu jus latum. Scribere enim antiquitus designabat ferre; unde jus scriptum nihil aliud, quam lex; quæ simulac lata est jus facit. *S. 4. 5. 6. Inst. de Jur. nat. Gent. & civ. l. 1. D. Con-*

D. Const. Princ. l. 22. §. 1. D. de legibus. Bodin. in jur. Univ. distr. wurmsfer. Nucl. jur. contr. l. 1. tit. 2. contr. 3. ibidemque multi citati. Besold. ad l. 6. n. 2. D. de Iust. & jure; ibidemque DD. allegati. Ernst. Cathol. Jur. c. 12.

XIV.

Juris scripti, seu potius sanctionis, tres sunt species; lex in specie, quod est populi jussum; plebis-scitum jussum plebis; Senatusconsultum, constitutio Senatus. Quod jus triplex præter consuetudinem, quæ erat jus non scriptum, in Romanâ obtinuit republicâ, antequam ea ad Monarchicum statum fuit translata. Quo sensu dixit Modestinus, *omne jus aut consensus fecit, intellige, populi aut plebis, aut necessitas constituit, intellige, senatusconsulta, aut firmavit consuetudo, quod accipe de jure non scripto. l. 40. D. de leg. Cujac. l. 18. Observ. c. 16. Bocer. class. 1. disp. 3. n. 11. ex parte dissentiens, Besold. ad l. 6. D. Iust. & jur. n. 2.*

XV.

Quid igitur de Responsis Jurisconsultorum erit statuendum? Respondeo, mihi non sunt præcise juris partes aut species. Sanctiones enim non sunt; quia non lata ab eo, qui supremâ gaudet potestate. Neque etiam ante Justinianum erant jus non scriptum; uti nonnulli hic somniant, quia non erant consuetudo; ut juris nomen non mereantur. Idque vel inde colligitur, quod iudicibus quibus responsa sua mittebant jurisconsulti, quandoque etiam ab iis recedere fuit permissum, licet non facile, non temere. Non dubium enim, quin quandoque uterque litigantium pro se habuerit cujusdam jurisconsulti responsum, ut alteruterum à iudice oportuerit fuisse neglectum. *Argum. l. 2. §. 4. 7. D. de Origin jur. Hortom. ad §. 8. Inst. de jur. nat. Gent. & civ. vid. hic Besold. ad l. 7. & 8. D. de Iust. & jur. Bocer. class. 1. disp. 3. n. 32. Zoef. D. de Iust. & jur. n. 62. vid. Merend. jur. contr. l. 2. c. 4.*

XVI.

Quid dicendum de Edictis magistratum, jure honorario? Quod Prætores spectat, certum est, eum olim non condendi, verum dicendi tantum habuisse auctoritatem. *l. 2. §. 27. D. de Orig. jur.* Postmodum ut edicta conderet, quæ prius annua, deinde perpetua, ei fuit permissum. *s. 1. Inst. Perp. & Tempor. Act.* Quæ

licet non modicam juris habuerint auctoritatem. §. 10. *Inst. de jur. nat. Gent. & civil.* eoque nomine quandoque leges appellarentur. Non tamen præcise leges erant. Quod nec præter leges quippiam statuere, nec leges constitutas abrogare, ei fuerit permissum. Qui non juris conditor, sed disceptor, sed custos, fuit appellatus. §. 7. *Instit. de jur. nat. Gent. civil. l. 7. 8. D. de Just. & jur. l. 12. §. 2. D. honor. Poss. Bacchov. ad §. 7. Inst. jur. nat. Gent. Ernst. Cathol. jur. c. 16.*

XVII.

Quid statuendum de rebus judicatis, an & illæ jus facient? licet Tullius in *Topic.* juris scripti speciebus addiderit res judicatas; unde & præjudicia sumebantur, quæ Asconio Pedian. erant decreta, quæ judicaturis exemplum adferrent, quod sequerentur. Quia tamen Justinianus Imperator eas præterivit, neque ullibi sancivit, ut eas ut leges sequerentur; inferendum erit, eas juris auctoritatem non habere. *l. 13. Cod. de sent. & int. erloc. omnium judic.* Et ratio est, quod facti minima mutatio, diversam sententiam deposcat. *Comm. 1. comm. jur. c. 15. n. 6. Pac. 1. cent. Enant. quest. 16. Sand. Præf. ad decis. Fris.* Aliud forte de stylo curiæ dicendum, quod habeat vim legis. *Arg. §. ult. Inst. de Satisfat. l. 38. D. de legibus. Coras. ad l. 25. D. de stat. hom. vid. Speckhan. cent. 2. class. 4. quest. 39. Groenw. de ll. Abrog. ad l. ult. Cod. de legibus.*

XVIII.

Quid de doctorum communi opinione? An & illa jus faciet? Ita quidem velint nonnulli, qui eandem juris auctoritatem nostri temporis DD. tribuunt, quam habebant responsa veterum Jurisconsultorum. *Wurmser. l. 1. tit. 2. contr. 6. ibidemque innumeri DD. Bocer. class. 1. disp. 3. n. 34. Besold. ad l. 7. n. 6. D. de legibus.* In tantum etiam, ut Judicem litem suam facere veliat, si in judicando à communi & receptâ deflectat opinione. *Sichard. ad Auth. Sacramenta puberum. Cod. si adv. vend.* Verum quia sine jure loquuntur quotquot id statuunt, contraria sententia verior erit. Teneatur enim iudex in judicando sequi, quod legibus, & moribus est prodictum. *Init. Inst. de Offic. judic. Novell. 82. §. penult. Arg. l. 1. §. sed neque. 5. Cod. Vet. jur. Enucl. Consentiant Zas. 2. Sing. Resp. 1. Alciat. 1. Præf. 5. l. n. 3. Job. Vaud. 1. qu. 19. Coras. ad l. unic. D. de offic. qu.*

XIX.

Dixi, quale jus Romæ obtinuerit, quod vim legis habebat. Examinandum accuratius; quid sit lex, quæque ejus proprietates, & effectus. Mihi nihil aliud est, quam agendorum & omittendorum generalis norma, ab eo præscripta aut probata, qui primas in republicâ obtinet; idque ad commune bonum. Ut definitiones in *l. 1. & 2. D. de legibus*, potius, si proprie loqui velimus, exornationes quam descriptiones nominari mereantur. Ut quæ non omnia legis essentialia requisita complectantur. *Anton. Muræ. in comment. ad d. l. 1. Esfold. in Oiconom. ad tit. 3. & 4. libr. 1. D. Vid. Ernst. Cathol. jur. c. 12. Bocér. class. 1. disp. 3. n. 13.*

XX.

Vbi quæritur, cujus sit leges ferre? Respondeo, ejus solius, qui supremam obtinet potestatem. Cum enim lex obliget, nec obliget æqualem, quod par in parem non habeat Imperium; necessum est ut qui eam tulit reliquis quibus eam tulit sit superior. Præterquã quod frustra feratur lex, nisi feratur ab eo, penes quem est jus cogendi delinquentem. Quæ etiam ratio est, quod lata extra territorium ejus, à quo lata, nullum pariat effectum: quod ei impune non pareatur. *l. ult. D. de Jurisdic. vid. Bronch. cent. 1. Aß. 6. Zoef. D. de legibus. n. 5. & 20.*

XXI.

Cujus igitur erit leges interpretari? Respondeo, aut agitur de Scholasticâ interpretatione, cujus auctores sunt Professores in Academiis; aut de forensi, cum vel Judex vel Advocatus legem ambiguam, facit dilucidiorum; aut denique de interpretatione Politicâ, sic ut ipsa interpretatio seu glossa, tantarum sit virium, atque ipsa lex; adeoque pro jure habeatur. Et ita interpretatio tantum est penes eum, qui legem tulit. *l. 11. 12. l. 27. D. de legibus. l. 2. Cod. Veter. jur. Enucl. l. ult. Cod. de legibus. Merul. Prax. cil. l. 1. tit. 4. c. 1. art. 15. Perez. Cod. de leg. n. 16. Zoef. D. eod. n. 61. D. Vinn. Quæst. jur. Sel. l. 1. c. 2.*

XXII.

Verum in quo consistunt legis vires, an tantum in imperando, obediendo, vetando, puniendo, an & in consulendo? Quod affirm.

l. 7. D. de leg. 9. 3. Inst. de Pupill. subst. §. ult. Inst. Verbor. oblig. l. 24. D. de Rei Vindic. An & in permittendo? Quod affirmandum. d. l. 7. D. de leg. Idque duplici ratione. Vel in quantum actus indifferentes ab ipsa lege permittuntur, quando circa eos legis præscriptum & ordo servatur. Vel quando actus per se mali à lege permittuntur, dum ad eos lex dissimulat, quos tollere non potest, & iis limites ponit, ne serpent latius. Neutro modo, lex permittens injusta dici poterit: quod posteriori casu, materia legis non sit opus malum, sed mali operis permissio. Vid. Bacchov. ad 1. disp. Treutl thes. 3. Besold. Oiconom. ad tit. 3. & 4. l. 1. D. n. 5. Zoef. D. de leg. n. 7.

XXIII.

De quibus negotiis? Respondeo de iis feruntur, quæ facile & frequenter; non quæ inopinato & perraro. Ea quippè contemnere solent legislatores. *l. 1, 3. 4. 5. D. de legibus. Quandoque tamen, præsertim in causis favorabilibus, & privilegiatis, in casibus insolitis, & quidem singulis leges feruntur. s. Insula Inst. de Rer. div. l. 3. D. si pars hered. Pet. l. 10. D. de statu hom. l. si major. Cod. legit. heredit. Zas. ad l. 3. D. de leg. Pacius cent. 1. Enant. quest. 10. Donell. 1. comm. 15. Cujac. 15. observ. c. 8.*

XXIV.

An etiam de negotiis præteritis leges feruntur? Ut in præteritum quid verent, non videretur dicendum. Cum censeantur futuris tantum negotiis providere. *l. 7. Cod. de legibus. Nisi tamen vel præteritis expresse datæ sint negotiis, vel leges sint declaratorix, quæ etiam ad præterita in dubio trahi solent. Vasq. 1. Ilustr. quest. 44. n. 2. Besold. delib. jur. ex l. 1. P. n. 14. Idem in Oiconom. tit. 3. & 4. l. 1. D. n. 24. Vnde quæsitum, ane novæ legis gravior pœna ad delicta prius commissa porrigi debeat? Neg. Arg. d. l. 7. & l. 1. in init. D. de Pœn. disp. Conn. 1. comm. 9. n. 10. vid. Zoef. D. leg. n. 43. 44. 45. & 46.*

XXV.

Sed quando obligabunt? Respondeo non ante promulgationem. Neque enim leges tenent, nisi sint intellectæ, aut saltem intelligi potuerint. Ast non censentur intelligi potuisse, nisi sint promulgatæ. Ut ante nomen legis, saltem effectu inspecto, non me-

mereantur. Et facit ratio, quod leges sint norma actuum humanorum; quæ non dirigit, nisi applicetur. Ut non ante quam sit cognita, applicari possit. *Arg. l. 2. §. 4. D. de origin. jur. l. 9. Cod. de leg. Zoef. D. eod.*

XXVI.

Vnde quæsitum, an saltem leges eos obligent, qui eas latas esse norunt, licet nondum sint publicatæ? Respondeo, licet certioratus, uti loquuntur, non videatur amplius esse certiorandus; quia tamen promulgatio est de ratione legum, & earum non scientia privata, sed publica desideratur; quod sint generalia præcepta, omnes ex æquo post publicationem tenentia, etiam nullos ante publicationem tenebunt; adeoque nec scientes privatam scientiam, legem esse latam. *Arg. d. ll. Merul. Prax. civil. l. 1. tit. 4. c. 1. art. 11. 18. & c. 4. art. 1. Zyp. jur. Pontif. nov. Anal. Enarr. l. 1. tit. de Const. Menoch 2. Arbitr. cas. 185. n. 7.*

XXVII.

Quæsitum etiam an si postquam leges in omnium noticiam devenerunt, aut saltem devenire potuerunt, id omne quod est contra leges factum, sit ipso jure nullum? *Ulpian in fragment tit. 1. l. 1. inter leges imperfectas, & perfectas distinguere videtur. Quasi illæ non faciant actum in contrarium directum, nullum; hæc vero faciant. Potius ita distinguendum erit. Aut leges simpliciter aliquid fieri vetant, nullam adjectam pœna, & quod est contra leges, erit ipso jure nullum. Aut pœnam adjiciunt, & quidem actus annullationi, & idem est dicendum. Aut pœnam adjiciunt, & tamen remedium suppeditant, quibus actus infirmetur, & non erit ipso jure nullus. l. 5. Cod. de legibus. DD. ibid. Zoef. D. eod. n. 47. 48. 49. Arnold. Vinn. Select. jur. quest. l. 1. quest. 1.*

XXVIII.

Vnde amplius quæsitum. Quis in leges impingere sit dicendus? An qui in verba legis, aut in ea, quæ leges expresse vetant, An etiam qui in legum sensum impingit, atque in earum fraudem quid perpetrat? quod affirmandum. Neque enim oportet jus civile calumniari, neque verba captare; sed animadvertere quâ mente quid dicatur. *l. pen. D. Ad Exhib. s. ultim. Inst. qui sui vel alien.*

alien. jur. sunt. l. 29. & seq. D. de legibus. l. 7. §. 3. D. Ad Sen. Macedon. In tantum ut gravius peccare sint dicendi, qui technice captatis verbia sententiam legislatoris circumveniunt, quam qui aperte contra legum verba quid faciunt. Argum. l. ult. D. de Ritu nupt. Anton. Faber ad l. 30. D. de leg. Cuiac. 3. obs. 24. & seq.

Corollaria Defendentis.

1.

Judex non debet aliter judicare quam legibus, aut constitutionibus proditum est: non tamen contra conscientiam.

2.

Sententia tamen contra statuta, vel jus commune pronunciata hodie non sunt ipso jure nulla, sed ope appellationis rescinduntur.

3.

Suggerentes consilium judicanti, id est Assessores esse debent Viri Iurisperiti, & Latina Linguae non ignari l. 1. D. h. t. Hoc item in Hungaria specialiter expressum in Maximiliani decreto 2. art. 16.

4.

Nostri juris Compiler Werböczius ad inducendam consuetudinem requirit lapsum temporis decennalis in Prolog. retius tamen existimo id arbitrio judicis relinquendum arg. l. prima. ff. de jure deliberandi.

5. Cons-

5.

Committitur adulterium ab uxore tam cum conjugato, quam cum soluto, à Viro non aliter, quam cum conjugata, vel sponsa alterius non soluta, sive vidua sive virgine l. 30. ad l. Iul. C. de adult.

6.

Praxis apertius, & perfectius à quotidiano judiciorum usu, in ipsis rerum documentis apparet, absque tamen theoria manca.

7.

Ideo ad accuratam cognitionem juris Regni HVNGARIE originaliter ex Canonici, Casarei que juris fontibus progressum habentis, vel saltem mediocris Romani Iuris notitia maximè necessaria. Werbóczius Tripartiti sui par 2. titulo 6. in Principio.

8.

In regno nostro pupilli infra legitimam aetatem non tenentur cuiquam contra se agenti respondere praterquam in causis tempore patrum motis, & ob contradictionem eorum nomine factam evocati imo eorum Evocatores in eorum homagias condemnantur partis primæ. tit. 129. 130. 131.

Cul-

D. R E S P O N D E N T I.

Pervigil ut mellis formatrix Dædala mane
 Evolitans varios lustrat hianter agros.
 Et clepit hic rorem, nunc illic suave apiastrum
 Atterit, ac thymbrâ crura thymoque gravat.
 Vixque domum serò repetit, largoque vacantes
 Cellarum stipat nectaris imbre sinus.
 Pieridum flagrans sic Enyedinus amore
 Deseruit charum patria quicquid habet.
 Ut varios hominum mores scrutatus & artes,
 Sedulò Palladias accumularet opes.
 En sapis optatos fructus Caspare laborum,
 Votaque conatus obsequiosa tui.
 Dum Themidis cultor, Sophies nunc arte relicta
 Iustitiæ lancem ritè tenere vales.
 Perge pari passu reliquos superare labores
 Sic tibi gaudenti cætera spontè fluent.

Posuit

A. B.